Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1511
Quelle:
Copyright:

grand Spinosiste en est l'autheur. C'est lui, qui a traduit en françois le Tractatus Theol. Polit. de Spinosa, et qui l'a donné au public sous deux differents titres. Tituli hi sunt *la Clef du Sanctuaire*, et *Traité des Cérémonies superstitieuses des Juifs* &c. Alium hujus Versionis autorem invenias in *Niceroni Memoires pour servir à l' Hist. des Hom. illustr.* T. XIII. p. 46. *le Sieur de S. Glain Angevin Capit. au service des Etats de Hollande*, quo nomine fortasse se texerit *Lucas* ille, qui ceterum etiam *Vitam*, seu Panegyricum potius *Spinosae* sui emisit ementito *Hamburgi* 1735. nomine, quae tamen prima non potest esse Editio. *Nicerono l. cit.* p. 52. est *fameux en Hollande par ses Quintessences, et plus encore par ses moeurs, et sa maniere de vivre.*

DCLII.

R. 537 Codex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 271. 4. maximam partem ipsius Autoris manu exaratus inscribitur *Journal Chrétien* et *fol.* praevio loquitur: *J'apartiens a son Excellence M^r. le General Marquis* (Philippe de Gentil) *de Langallerie Comme etant de son ouvrage.* Habemus igitur fatentem reum, Hominem, quem animi intemperies et ambitio a. 1706. servitio militari primum Patriae suae, tum Imperatoris *Josephi* I. aliorumque Principum exturbavit, et per diversas Provincias insana et incredibilia machinatum tandem a. 1716. ad custodiam *Viennensem* reduxit, in qua a. sequente vivendi finem fecit. Extant sub ejus Nomine: *La Guerre d' Italie, ou Memoires historiques, politiques et galans. Cologne* 1709. 12. iterum editae, et ab a. 1674. productae ad annum mortis *à la Haye* 1743. 12. a quodam *Gautier de Faget*, quae Romanensis potius Fabulae speciem praeferunt. Extat etiam *Manifeste — écrit par lui — même en 1706. Cologne* 1707. 4. et, quod Codici nostro adjunctum est, Scriptum ad *Anglos* datum et certe typis excusum *Amstelod. le 30. Mars* 1715. 4. *foll.* 4. quo illos ad caussam communem invitat per emissarium *D. Hierome de Cisneros et Mendoza, Comme moi Né Papiste, Comme moi Né Cavalier, de condition, Comme moi haut Elevé en Charge dans son état de jadis, et Comme moi converti à la Réforme par la grace de Dieu.* Quae porro illa caussa sit, e *Diario* nostro *Christiano* paucis habe: Constitutum se esse a Deo ad propagandam Fidem; ad istud se opus habere 30. Praedicatoribus, et 10000. Armatis, destruendum *Antichristum Orientis* et *Occidentis*, sed hunc quamprimum, illuminandos Judaeos, liberandos, qui *Massiliae* in triremibus capti tenentur, Principes ad agnitionem veritatis cogendos &c. Scriptum est istud *Diarium* inter annos 1713—15. et quidem *Cassellis* ab 18. *Jun.* usque ad 5. *April. Amstelaedami* paucis locis intermediis, quo brevi tempore excurrerat. Scriptum est autem a lepido capite *Bibliorum*